



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

C. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

*Moral. in* In quem etiam sensum Gregorius. *Semetipsum abnegat, qui*  
*Iob lib. 33. calcato typho superbie, ante Dei oculos esse se à se alienum de-*  
*cap. 8. monstrat.* Beza autem cum suis Christum nullo modo le-  
 quit, his verbis docet Augustinus: *Christum non sequitur, qui*  
*non secundum veram fidem & disciplinam Catholicam Chri-*  
*stianus est.* De serm. Domini in monte lib. 1. cap. 9 Vide Leo-  
 nem Magnum sermone 9. de Quadragesima.

## IN MATTHÆI CAP. XI.

22. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes qua-*  
*factæ sunt in vobis, oim in cilicio & cinere*  
*pœnitentiam egissent.*

**C**ALVINVS hoc loco quia pro contingentia re-  
 rum & humanarum actionum libertate (quam ille  
 tollere vult, posita fatali quadam actionum nostra-  
 rum necessitate, propter inevitabilem Dei de sin-  
 gulis tum providentiam tum præordinationem infallibilem)  
 hæc verba facere videbat, legitimum eorum & germanum  
 sensum pervertit, ad alias considerationes animum lectoris  
 auocans. *Christus, inquit, nõ disputat quid præiderit Deus fu-*  
*turum de ijs vel illis, sed quid facturi fuerant alteri, quatenus*  
*ex re ipsa percipi poterat, & ad communem humana mentis ca-*  
*Ver. 23. prum sermonem accommodat.* Hæc ille. Similiter infra verba  
 Christi de ciuitate Sodomis, eodem modo pervertit. *Humano*  
*(inquit) more Christus loquitur: non autem ex caelesti adyco pro-*  
*fert quid præiderit futurum si Sodomis Prophetam aliquem*  
*Christi ver- mississet.* Hæc ille. Sed hoc nihil aliud est quam verba Chri-  
 ba menda- sti mendacij arguere: vult enim quod Christus futurum di-  
 cy arguit scire dixerat, si miracula in vno & prædicatio in altero loco  
 Caluinus. facta fuisset, hoc reuera non futurum fuisse: nec Christum  
 hoc præuississe, sed quod possibiliter & fortè futurum erat,  
 humano more coniecisse. Quo semel posito, & illud quoque  
 quod Christus subiecit de grauiori pœna & condemnatione  
 in die iudicij ciuitatum istarum quam Tyri & Sidonis aut  
 Sodomorum, secundum Caluinum inane terribilamentum  
 erit, quia non de eo quod futurum erat præuidit, sed huma-  
 no more quantum rei indignitas postulare videbatur, Chri-  
 stus loquutus est. Quare hæc relicta apertissima verbi Dei  
 corruptela, quæ ex his Christi verbis veræ ac solidæ theolo-  
 giæ

gratiae documenta deduci possunt, breuiter annotabimus.

Primum id erit, quod Deus propter scientiam suam infinitam, quae non pendet ab existentia obiecti sicuti nostrae prauidet & praescit etiam quae futura non sunt, sed fieri poterant: non quidem scientia visionis, qua solum actu futura praesciuntur à Deo, & de qua loquitur Augustinus epist. 105. in fine, & epist. 107. & lib. de praedest. sanct. cap. 14. & Prosper in Epist. ad Augustinum illi libro praefixa, negantes Deum praescire quae futura non erant, ad ea videlicet vel punienda vel remuneranda, quo sensu Pelagiani volebant paruulos non baptizatos damnari propter mala praeuisa, quae, si uixissent, facturi erant, itémque paruulos baptizatos morientes saluari propter bona opera praeuisa quae facturi erant, sed scientia simplicis intelligentiae: quae etiam est non entium, sed possibilitium esse. Quae quidem notitia in solo Deo ita perfecta est, ut per hanc solam sufficienter talia cognoscat si ponerentur in actu. Sic Christus hoc loco scientia sua diuina, sed simplicis intelligentiae, clarè videbat Tyriorum & Sodomorum non possibilem tantum, sed & verè futuram poenitentiam, si apud eos miracula facta fuissent. Sic Dauidem Sauli tradendum esse si maneret Celiae, Deus interroganti Dauidi praedixit, quod tamen eo abeunte non euenit. Sic dicitur Prophetæ, si apud alias gentes praedicaret, fore ut ab illis audiretur. Vide Gregor. de Valentia in 1 p. D. Tho. q. 14. puncto 5. q. 2. & Ludouicum Molinam q. 14. art. 13. disp. 43.

Secundum documentum, quod increduli Iudaei praedicante & miracula faciente Christo ideo non crediderunt, quia credere noluerunt. Peccauerunt enim isti grauius quam Tyrij & Sionij, quod ex grauiori condemnatione constat. Peccatum autem esse, & uoluntarium non esse, pugnantia sunt. Vide Molinam q. 14. art. 13. disp. 10.

Tertium ex hoc loco documentum, quod eum æquali Dei auxilio alius interdum conuertitur, alius non conuertitur: de quo uide eundem q. & art. eisdem, disput. 12. Quae enim auxilia gratiae apud Iudæos istos non ualuerunt, eadem apud Tyrios & Sidonios ualitura fuisse Christus affirmat.

Quartum documentum, quod inter auxilia gratiae, quibus ad credendam homo excitatur, miracula ueluti suasiones externae computantur. Quod etiam ex oratione Apostolorum Act. 4. & ex effectu prophetandi quem Paulus describit 1. Cor. 14. colligi potest. Vide eundem Molinam q. & art. eisdem, disput. 38.

Documen-  
ta theolo-  
gica.

1.  
Praescien-  
tia in Deo  
rerum non  
futurarum.

1. Reg. 23.

Ezech. 36

2.

Pag. 491

3.

Pag. 53. &

57.

4.

Pag. 234.

5. Quintum documentum, quod hæc & alia auxilia gratiæ specialia Deus non cōfert pro ratione vsus liberi arbitrii præuisi aut futuri, nec ad illos omnes Euangelij prædicatores mittit quos ad fidem conuertendos præuidit, sed salutis media pro suo solo beneplacito disponit: quod idem ex his verbis docet Molina q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 4. & S. Augustinus in libro de bono perseuerantiæ, cap. 9.
6. Sextum documentum, quod ex loco conuincitur certa futurorum etiam liberè contingentium in Deo prouidentia, & electorum quidem prædestinatio atque electio gratuita, reproborum verò reiectio iusta: quod in eodem vide Molina q. 14. art. 13. disput. 49. Postremò documentum, quod isti Tyrrij & Sidonij reuera fuissent conuertendi (vt Christus discretè dicit) si virtutes ibi factæ fuissent, nec propter defectum efficaciæ gratiæ (quæ per illa miracula fuisset efficax, propter liberi arbitrii consensum quem illa miracula cum auxiliis gratiæ indubiè elicuissent, vt Christus docet) sed propter defectum miraculorum, & aliorum mediorum, quæ iustè Deus illis subtraxit; alia tamen multa illis faciens quæ eos promotebat ad salutem (ait in hunc locum Corn. Iansenius) non fuisse conuersos: de quo etiam vide Molinam q. & art. citatis disput. 38. pag. 239.

21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

**A**trudit hunc locum Caluinus, quia manifestè videbat ex eo conuinci, non in sola vitæ mutatione & resipiscencia, quam ille totam pœnitentiæ rationem esse vult, sed in operibus quoque pœnalibus pœnitentiam propriè versari. Ait igitur, vt textum penitus peruertat. *Pœnitentia hic ad externis signis describitur, quorum tunc solènis usus erat in Ecclesia Dei, non quod in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgè captum inflectit.* Vult bonus Caluinus pœnitentiam hic à Christo describi, non qualis esse debeat, sed qualis tunc in more illius populi erat; nec hanc pœnitentiæ formam à Christo vel vrgeri vel commendari, sed tantum quid fieri soleat, historicè commemorari. Denique nō ipsam pœnitentiam, sed signa quædam eius externa notari. Hæ sunt Caluini speculationes, vt cilicium à suis humeris auertat, & omnè pœnale opus à pœnitentiæ ratione remoueat. Cæterum pœnitentiam hic describi non à loci illius consuetudine, nec ab eo quod solet fieri, sed ab ipsa eius natura, & ab eo quod debet fieri

*Pœnitentia  
altus  
pœnalu.*

fieri, perpetua in Ecclesia Catholica praxis ostendit, quæ suos pœnitentes huiusmodi operibus pœnalibus exercuit: de quo lege Cyprianum serm. 5. de lapsis, & lib. 3. epist. 16. August. hom. 50. cap. 15. & in Enchirid. cap. 70. Gregor. M. hom. 34. in Euang. & Curæ pastor. part. 3. admonit. 31. Theodoretum in epitome diuinorum decret. cap. de pœnitent. Chrysof. hom. 22. ad pop. Ant. Neque verò opera pœnalia signa tantum externa sunt, sed proprii fructus, operaque propria pœnitentiæ. Sic enim ad huiusmodi exhortans Ioan. Baptista dixit. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quales fecerunt Niniuitæ, Ionæ 3. *Et vidit Deus opera eorum*, &c. quales fecit Dauid, *laborans in gemitu suo, & lauans per singulas noctes lectum suum*. Addit adhuc Calvinus. *Scimus non exigi pœnitentiã à fidelibus tantum ad paucos dies, sed ut se in ea meditanda assidue vsque ad mortem exercent. Atqui non necesse est quotidie sacco vestiri & cinere*. Hæc ille, non distinguens quotidianam iustorum pœnitentiã (quæ in perpetua supplicationis humilitate subitur, vt scribit August.) ab alia ex magnis peccatis resurgentiũ laboriosa vel etiam solenni pœnitentiã, vt à Patribus vocatur atque distinguitur: ab August. maximè homilia 27. ex 50. & homil. 50. cap. 9. de Symbolo ad Catech. lib. 1. cap. 6. & Epistol. 504. Origen. homil. 3. super Leuiticũ. Quemadmodũ igitur quidã hodie hæretici propter perpetuum Dei cultum ad quem omnes tenentur, nullos volunt esse speciales dies festos ad eum destinatos: sic hic Calvinus propter quotidianam omnium etiam in hac vita iustorum pœnitentiã, grauiorem illam & magnis peccatoribus necessariã, qualem hic Christus describit, eludere vult. Subiungit nihilominus, *exteriorem istam pœnitentiæ professionem in sacco & cinere, tunc locum habere, quum ex graui aliqua defectione ad Deum se homines conuertunt*. Quibus in verbis videre potuit, quæ de pœnitentiã quotidiana prius excepit, nihil prorsus ad locum præsentem facere. Sed ambiguus & vafer hæreticus nec tacere potuit quod liquida rei veritas illi extorsit, nec dicere tamen voluit quod tota veritas dicendum postulauit, aut à suis inspergendis fallaciis ac venenis abstinere. Pessimè quippe illum hic locus habuit vbi pœnitentiã describitur, non in sola vitæ mutatione aut qualibet anteactæ vitæ displicentiã, sed in cilicio & cinere, id est, in graui & luctuosa & laboriosa pro peccatis satisfactione, durissque & acerbis pœnitentiæ fructibus.

Luc. 3.

Psalm. 60

Homil. 27.  
ex 50. &  
hom. 50.  
c. 4. & 6.  
de Ciuit.  
Dei lib. 22.  
cap. 23. &  
epist. 108.

Caluini va  
frictus.

25. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.*

*Paruulos  
ac humiles  
non fert  
Galvinus.*

**Q**UUM hæc Christi verba de superbis & de humilibus doctissimi in Ecclesia Patres hæctenus intellexerint, August. serm. 8. de verbis Domini, Gregor. Moral. lib. 27. cap. 9. & Hilarius in com. in hunc locum, vt in Prompt. Cath. in festo S. Mathiæ ostendimus, ad quos etiam accedit Chrysost. hom. 39. in Math. vnus Caluinus, quia de numero talium paruulorum nec erat, nec esse voluit, vult omnino Christum per Sapientes notare viros doctos ac magnos sine ulla vitij notatione, pauperes verò ignobiles ac viles personas sine ulla virtutis nota. Nempe vt locum faceret textoribus suis, coriariis, sartoribus, tonforibus, & id genus aliis plebeiis planèque indoctis hominibus, qui noui Euangelij Caluiniani præcipui præcones per Galliam, hoc Belgium, & Angliam erant. Rationem adfert, quia etiam superbi ac feroces aliquãdo ad Apostolica munera à Deo vocantur, quod ex Pauli exemplo probat. Cæterum nec Paulus quum adhuc Saulus esset, ex mera superbia & ferocia talis erat, sed, vt ipsemet profiteretur, zelator paternarum iraditionum, & ex ignorantia peccans, nec qualemcumque illam suam ferociam factus Apostolus retinuit, sed in alium virum conuersus paruulus erat; nec denique magis contra superbos quàm contra doctos hoc exemplum facit, quum Paulus in lege Moyseica ante conuersionem doctissimus fuerit, ad pedes Gamalielis institutus, vt ipse Paulus profiteretur. Tenenda igitur veterum Patrum saluberrima expositio, & nouella reiicienda Caluini corruptio.

## IN MATTHÆI CAP. XII.

26. *Si Satanas Satanam eicit, aduersum se diuisus est.*

**V**VM hæc prima Christi responsio ad illam Pharisæorum blasphemiam, quod in principe demoniorum dæmonia eiiciebat, locum habeat in illa dæmoniorum eiectione, quæ vera & efficax est, & qua inuitus dæmon ab homine pellitur, non autem de ficticia illa cessione qua per collusionem quandam eiici se dæmones etiam aliorum dæmonum opera interdum patiuntur, aut fingunt potius, de qua disputat S. August. in lib. 83. qq. q. 79. Caluinus ficticiam hanc & illusoriam dæmonis eiectionem

Catho